

## I C E N I.

**R**E GIONEM Trinobantibus proximam, qua postea Eastanglia dicta, & Suffolciam, Norfolciam, Cantabrigiensemque agrum, cum Huntingdonensi complectitur, occuparunt olim ICENI, alibi perperam TIGENI, Ptolemao corruptius SIMENI: quos etiam confuso vocabulo SENIMAGNOS, apud Casarem fuisse dictos jampridem existimavi: & ut ita existimarem, fecit ipsa arctissima affinitas, qua inter hac nomina ICENI, & CENI-MAGNI intercedit, fecitque Taciti & Casaris consensus. Ille enim Cenimagnos se Romanis dedidisse scribit, quod item Icenos fecisse his verbis memorat Tacitus: Volentes amicitiam nostram acceſſerunt; sed quod maximum est in libro M S. pro CENI-MAGNI, CENI, AGNI diviso vocabulo concipitur, pro quibus si non audaculus viderer, ICENI, REGNI substituerim ego. Nec alicubi certe Cenimagnos in Britannia comperias, si à Regnis & Icenis diversi fuerint. Caterum Iceni nominis hoc in tractu reliqua sunt vestigia plurima, ut Ikensworth, Ikenthorpe, Ikborrow, Iken, Iksning, Ichlingham, Eike, &c. Consularisque illa via, qua hinc duxit, superioris saeculi Chro-nographis Ichenild-Streat, quasi Icenorum strata, paſſim nominatur. Qua nominis sit ratio, ita me veritas amet, ut conjectare non ausim, niſi quis à cuneata regionis forma deducat, & in modum Cunei Oceano incumbere dicat. Cuneum enim suo idiomate Iken vocant Britanni, eodem etenim nomine locus in VVallia ad Lhingid lacum, Lhan-yken, ab illa forma dicitur, & eodem sensu regiuncula in Hispania SPHEN, id est, Cuneus, ut author est Strabo, vocatur, Sphen. qua minus tamen quam hac nostra ad cunei similitudinem accedere videtur.

Gens hac erat, ut inquit Tacitus, valida, & postquam se Romanorum in fidem permisisset, ad Claudi tempora praluis non concussa. Tunc enim cum Ostorius Proprator flumina castris communiret, & Britannis arma detraheret, contractis copiis se opposuerunt: sed perrupto à Romanis aggere quo se obſepserant, non sine clade magna devicti. Qua pugna multa sanc, & clara facinora fecere, & M. Ostorius legati filii servi civis decus meruit. Hoc bello sic sopito, vix XIII agebatur annus, cum nova bellorum tempeſtas his initis exorta. Prasutagus Rex Icenorum, ut calamitatem à sua gente, vel suis privatis incommodis redimeret, Neronem Imperatorem heredem scripsit, tali obsequio (ut Tacitus pro me paucula loquatur) ratus regnum, & domum suam procul injuria fore, quod contra vertit: adeo ut Regnum per Centuriones, domus per servos velut capta, vastarentur. Iam primum uxor Boodicia, qua etiam Bunduica dicitur, verberibus affecta, & filia stupro violata sunt. Pracipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, aviis bonis exuti, & propinqu regis inter mancipia habiti. Qua contumelia, & metu graviorum (quando in formam provincia cesserant) arma rapiunt, commotis ad rebellionem Trinobantibus, & qui alii nondum servitio assuefacti, resumere libertatem occultis conjurationibus conspirant, acerrimo in veteranos odio incensi. Hinc funestissimum bellum exarsit, cui faces addidit Seneca avaritia, qui sub id tempus quadringenties septerium, (trecenta scilicet millia librarum nostrantium) maximis usuris cumulatum acerbius exigebat. Hoc bello, ut summatim dicam, Boodicia illa, quam Leænam dolosam Gildas vocare videtur, Prasutagi uxor octoginta millia Romanorum & sociorum occidit, Camalodunum Coloniam, & Verulamium municipium excidit. Legionem IX fudit, Catum Decianum procuratorem fugavit, sed tandem justo prælio à Paulino Suetonio fracta, invicta animi constantia, ut Tacitus scribit, hausto veneno, ut Dio, morbo diem obiit. Dum hoc bellum flagraret, scribit è Dione Xiphilinus Britannos VICTORIAM sub ANDATIS nomine, quam alibi Græcus codex Andraſten vocat, in primis coluisse, & in ejus luco summa cum immanitate captivos immolasse, quod tamen hodie nomen pro Victoria non agnoscunt Britanni, nec ego quid velit, video, niſi ut Latini Victoriam à vincendo, Sabini Vacunam ab evacuando, & Graci NIKHN ἀπὸ μῆνας, id est, non cedendo nominarint, sic Britanni Anarhaith ab evertendo appellariunt; hoc enim nomine exitiabilis eversio illis significatur. Sed hec obiter & per transennam. Iam inde altum est de Icenis apud authores silentium, nec quicquam legendo erui potest, niſi quod Romani, præcipite jam eorum imperio, novum magistratum ora maritima per has, & alias regiones ad Saxonum depredationes cohendas præfecerunt, quem Comitem littoris Saxonici per Britanniam vocarunt, ut jam ante diximus.

Cum autem Saxones jam suam in hac insula Heptarchiam confirmassent, in Orientalium Anglorum regnum cessit hac provincia, quam ab Orientali ſitu, ſua lingua East-angle-nyc dixerunt, id est, Orientalis Angliæ regnum, Vffamque primum regem habuit, unde Vffkines ſuccelfores diu dicti, qui nunc Merciorum, nunc Cantianorum regum beneficiarii fuisse videntur. Quorum ſoboles cum in Edmundo Sancto defeciffet, Dani regionem pervaserunt, & miſerum in modum annos plus minus quinquaginta omni bellorum calamitate dilaniarunt, donec Eduvardus Senior, illis debellatis, ſuo occidentalium Saxonum imperio tandem adjunxerit. Deinceps vero ſuos Praefides habuit, quem hominem Britannia,

Praefuta-gus.

Boodicia.

Seneca in Britannia ulura.

Andates, five An-draſtes.

Victoria Dea.

In Cantio.

Fastangle.

Vffkines.